



**G** Georgius à teneris annis in Hassia patria ar-  
 morum exercitia secutus, in uirum fortem &  
 strenuum militū præfectum abiit. Itaq; aliquoties  
 apud Cæsarem stipendia meruit, atq; rei bellicę pe-  
 ritiam acquisiuit. Id cum rex Galliæ cognouisset,  
 eum in suas partes traduxit, atq; pedestribus Ger-  
 manorum copijs præfecit. In ea militia anno 1544  
 sese Recrodus fortiter gessit, atq; regi charissimus  
 fuit. Cum autem ipse religionis Protestantium es-  
 set, atq; bellum Germanicum religionis causa exo-  
 riretur, commodè Gallus, facta cum Cæsare pace,  
 Recrodū dimisit. Itaq; is cum suis militibus ad Phi-  
 lippum Landgrauium transiit, cuius erat beneficia-  
 rius. In eo bello res sibi commissas egregiè expediuit. Cum autem Mauritius  
 Electoris ditionem occupasset, atq; Elector domum rediret, Recrodus eum  
 secutus fuit. Paulo post Cæsaris nomine Albertus Marchio in Saxoniam uen-  
 nit. hunc Recrodus cum socijs circa Rochliciam prælio superauit, & in capti-  
 uitatem redegit. Cum autem postea & Elector captus cum Cæsare transegis-  
 set, Recrodus in Galliã rediit: præsertim cum Augustæ à Cæsare proscriptus  
 esset anno 1548. In eo loco Gallo multis annis fidelem operam nauauit, atq; e-  
 tiam in Italia plurima bella gessit. donec tandem pace undiq; parata, in patriã  
 reuersus fuerit. Scđq; factum, ut Recrodus apud Germaniæ Lantzigeros sem-  
 per in magna authoritate fuerit, Ioan. Sleid;